

379

380

1. Der Text und die kolometrische Schreibweise:

2. Verbformen und einfache Strukturierungen:

Civitatibus Germanorum **maxima laus est** quam latissime circum se vastatis finibus solitudines **habere**.

Hoc proprium virtutis **existimant**,
expulsos agris finitimos **cedere** neque quemquam prope se **audere consistere**;

simul hoc se fore tutiores **arbitrantur** repentinae incursionis timore sublato.

Cum bellum civitas aut **infert** aut illatum **defendit**,
magistratus,
qui ei bello **praesint** et vitae necisque **habeant** potestatem,
deliguntur.

In pace **nullus est** communis magistratus,
sed principes regionum atque pagorum inter suos ius **dicunt** controversiasque **minuunt**.

Latrocinia nullam **habent** infamiam,
quae extra fines cuiusque civitatis **fiunt**,
atque ea iuventutis exercendae ac desidiaie minuendae causa fieri **praedicant**.

Atque ubi quis ex principibus in concilio **dixit** se ducem **fore**,
qui sequi **velint**,
profiteantur,
consurgunt ii,
qui et causam et hominem **probant**,
suumque auxilium **pollicentur** atque a multitudine **collaudantur**;

qui ex his **secuti non sunt**,

in desertorum ac proditorum numero **ducuntur**,
omniumque his rerum postea fides **derogatur**.

Ac **fuit** antea tempus,
cum Germanos Galli virtute **superarent**,
ultra bella **inferrent**,
propter hominum multitudinem agrisque inopiam trans Rhenum colonos **mitterent**.